



Ant  
ll



## INDEX AUCTORVM

- 1 Clampus di. pp. III. de fide in S. C. in cuius priori definitio expressit eius  
expoliti. Apoc. 17. 18. in di. cartorum h. ap. XII di. pp.
2. di. pp. II. de nexu et momento doctrinae de fide in S. C.
3. di. pp. III. de causa, forma et subiecto fidei
4. di. pp. IV. de relatione fidei ad regenerationem, iuxta finalitatem & rel.
5. di. pp. V. species fidei, praesentia in futurum.
6. di. pp. VI. de fide in S. C. in V. T. et eius expressio
7. di. pp. VII. fidei in V. & N. T. convenientia et differentia
8. di. pp. VIII. de gradibus quibusdam fidei
9. di. pp. IX. de fide temporaria & finali
10. di. pp. X. de fide reflexa
11. di. pp. XI. de fide non reflexa
12. di. pp. XII. de iussu, subiecto et obiecto fidei
13. di. pp. XIII. de actibus et effectibus fidei, praesentibus & futuris de doctrina fidei
14. Eiusdem de autographorum biblicorum, sacrorum rei Christianae innoxia, et v. p. h.
15. Bonus de vobis in iis non est in v. p. h.
16. Knapp de dono prophetiae in eccl. V. T.
17. Eiusdem de prophet. de domo proph. secunda
18. Eiusdem de comparat. stat. eccl. apoc. stat. hodie (obscure inf. tend.)
19. W. Wendel de iust. in v. p. h.
20. Michaelis Anst. Beo. nomina quaedam propria V. & N. T.
21. Mulla de mona hierosolyma. ad Apoc. XXI. XXII.
22. Hofmann allegat. ~~ad~~ cap. I. ep. ad Cor. corinthios.
23. Thun de H. p. h.
24. Kunze de v. p. h. restauratore ad Ep. XLV. 22-24.
25. Bong par. ad Rom. VIII. 23.
26. Strumann top. et Paulina in doct. de fide specimen.
27. W. W. W. de v. p. h. in signum non poena
28. W. W. W. de S. C. in v. p. h. ob. p. h. ad Luc. I. 69.
29. W. W. W. de v. p. h. in signum non poena: ab emend. h. d. acad. p. h.
30. W. W. W. de v. p. h. in signum non poena.


24. Ep. XLV. 22-24

27. Luc. I. 69.

25. Rom. VIII. 23.

26. Apoc. XXI. XXII.







21  
19

B.D. JOACHIMI HILDEBRANDI  
*DISSERTATIO*  
DE  
LACHRYMIS  
CHRISTI.



EDITIO NOVISSIMA.

---

*HELMSTADII*  
EX OFFICINA SCHNORRIANA.  
clō Io cc xxxvii.



4

ED. JOACHIM H. DEBRANDT  
DIE  
DE  
LA CIER Y MIS  
CHRISTI



IN VENETIA

MDCCCLXXV

IN VENETIA SOCIETAS  
MDCCCLXXV







## THESIS I.

**D**e saluberrimis piaeque meditatione dignissimis LACHRYMIS IESV CHRISTI amantissimi Salvatoris nostri acturo, de LACHRYMIS in genere præmittere nonnulla convenit. Græci Lacrymas δάκρυα h. e. fletu stillantes cerebri guttas famosiori vocis acceptione appellant, quas aliis quoque nominibus denotare consueverunt.

II. Et κλαυθμός quidem & θρήνος frequenter idem quod δάκρυα notant, quamvis interdum sit in significato diversitas. Κλαυθμός enim cum vociferatione emissos ploratus, sæpe non connotatis lachrymarum stillicidiis indicat. Quare in inferno, ubi igneas futuras lachrymas S. Macarius dixit, Salvator κλαυθμόν καὶ θρυχμόν τῶν ἐδόντων planctum ac miserrimos ejulatus fore asserit. Θρήνος vero & ipsa δάκρυα lachrymabilem una querelam carmine conceptam, vel tristem quamcunque elegiam solent exprimere, quam ab eadem voce lugubri Jeremie carmini, quo tristibus Hierosolymorum factis parentavit, imposta legitur.

III. Hebræi lachrymas voce מַדְדָּי significant, quæ madentem lachrymam, seu madidum humorem oculis efflu-



effluentem denotat. Est enim a R. *דמעה* *præ dolore & summa tristitia lachrymarum rivus oculis educere.* Græci ab hoc verbo suum *διδάω* ploro & inversa radice *μολαίω* rigo, humecto deducunt, sicut erudite Clariss. Avenarius Lexic. Hebr. sub hac voce observat.

IV. Respondet *דמעה* apposite Latinis *Lacrymis*, quamvis ea vox non semper humanis solum fletibus attribuitur, sed de quovis alio liquore usurpetur. Sane defluentem ex myrrha arbore liquorem Ovidius in *Metam* lachrymas vocat: Myrrha enim ob turpissimum patris incestum in sui nominis arborem mutata Adonidem filium enixa continuis facinus suum piasse fletibus fertur,

*Et quanquam amisit veteres cum corpore sensus,  
FLET tamen & tepidæ manant ex arbore guttæ  
Est honor & LACRYMIS stillataque cortice Myrrha  
Nomen herile tenet nulloque tacebitur ævo.*

V. Ad Myrrhae mentionem obiter notare liceat, ejus laudatissimum unguentum, quod a putredine corpora conservat, provenire in Troglodytica Æthiopiæ regione, sub Ægypto, itemque in Arabia Felice ex Myrrha, (non arbutula, ut habent Lexica) sed procera & spinosa arbore, docente J. Camerario *Embl. Herb. II.* Desudat hinc quoddam *gummi*, seu *lachryma*, quam itidem myrrham dicunt, eaque vel sponte profluit ventis vehementius spirantibus, vel inciso cortice elici solet, quarum illa prima dicitur atque optima censetur. Hanc secundam sed minus esse bonam tradit Nicol. de Lyra ad *Exod. XXX, 13.* Porro ex hoc gummi, cum recentius præsertim pingue admodum & succolum sit, unguenti seu olei genus exprimitur, quod Latinis *Gutta* dicitur, Ovidio *Myrrhae Lacryma*.

VI.



VI. Porro non tantum Latinorum Lachrymæ, sed & Hebræorum *דמעה* per Metaphoram aliquando *mustum* & *oleum* significat, vel ut Avenarius reddit l. d. humorem naturalem sive liquorem, qui defluit de uvis, oleo & omnibus quæ guttatim destillant. Cæterum cum lachrymas præcipue piorum ingens dolor & animi angor attemperet, Scriptura S. easdem creberrime per Metonymiam pro calamitatibus & afflictionibus usurpat. Hinc *lachrymas suas sibi in cibum fuisse die ac nocte*, Rex Propheta conqueritur, Psal. XLII, 4. *Cibasti nos pane lachrymarum & potasti nos lachrymis copiosis*, i. e. maximas afflictiones, & inde profectos mœrores ac dolores nobis cumulasti. Dicit autem afflictos cibari & potari lachrymis, quia cum genit defluunt, sæpe cibo ac potui miscentur, aut quod fletibus indulgentes ciborum appetitu non valde capiuntur, ut aperte colligitur ex Psal. CII, 9. *Ciñerem tanquam panem manduco, & poculum meum cum fletu misceo.* & v. 5. *Percussum est & sicut fenum exaruit cor meum adeo, ut oblitus sim comedere panem meum.* Eodem plane loquendi tropo dicitur Deus *ab homine lachrymas amovere*. Psal. CXVI, cum dolore & miseris eripit. Hinc Apoc. VII 17. c. XXI, 14. *Deus piorum oculis lachrymas omnes absterget.*

VII. Quando vero jucundissimus lachrymarum fructus & compensatio pro exantatis miseris promittitur, *in lachrymis seminantes cum exultatione messuri* dicuntur Ps. CXXVI, 6. ex quo paternam Dei providentiam & in adversis assistentiam certamque futuram liberationem prospicias. *In utrem Deus colligere piorum lachrymas* fertur Ps. LVI. *Collige in utrem tuum lachrymas meas.* Vter vino ac potui servando ex corio confectum erat vasculum. Mystice ergo Deus lachrymas piorum colligit, ut nectar istud



vel hunc potum SS. Angelis, qui iisdem suo quodam modo delectantur, præbeat, aut in piorum dulcis lætitiæ vinum commutet. Hinc Psal. XCI, 15. seq. Deus promittit: *Ego cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam ei salutare meum.* Aliquando cum lacrymis fufas preces & questus significat. Hinc respondere lacrymis piorum dicitur Plal. XXXIX, 13. *Exaudi orationem meam Domine, & preceationem meam auribus percipe; ad lachrymas meas ne fileas.* Pariter Regi Ezechix Dominus nunciat: *Vidi lachrymas tuas*, quas inter preces & suspiria ad parietatem conversus largiter egresserat Ef. XXXIX, 5. Præter has in SS. obvias lachrymarum significaciones alibi celebrantur lachrymæ cervi, humor in oculo cervi concrefcens, quem Medici suos in ufus conferre norunt.

IIX. Extra tropum lachrymæ denotant excrementum cerebri aqueum, quod excoctiōne cerebri in oculorum glandulas detruditur, & ex iis per constrictionem foras propellitur.

IX. Quod ut melius intelligatur, sciendum, ex coctiōne cerebri duo Excrementorum genera produci, alterum tenue, crassius alterum. Crassum est vel magis vel minus tale. Posterior per nares & palatum excernitur: prius ad aures ablegatur. Tenue est vel vapor vel humor. Vapor per cranii futuras prudentissime a natura formatas exit. Hinc quibus ex formationis vitio futuræ defunt, continuū capitis dolorem patiuntur. Sed lachrymæ dicuntur humor, qui ut dixi in oculorum glandulas perque earum constrictionem foras emittitur.

X. Causæ, quæ easdem propellunt, variæ sunt. Potissimum tamen mens luctu gravis in lachrymas resolvitur. Si Stoicis credimus, λύπη dicitur q. λύπη quod sit animi



animi quædam dissipatio, & quod oculos solvat in lachrymas. Certe conjuncta sunt λυπεῖσθαι & δακρυχέειν tristari & lachrymas fundere, unde Ethymologus scribit, dictam λύπην, παρὰ τὸ λύειν εἰς δάκρυα τὰς ὄψας. Boetius in metro I. lib. I. de Conf. Phil. eundem lachrymarum fontem nostris versibus his docet:

*Carmina qui quondam studio florente peregi  
Flebilis heu mæstos cogor inire modos.  
Ecce, mihi lacera dicant scribenda Camæna  
Et veris elegi fletibus ora rigant.*

Et in Octavia Seneca Tragicus:

*Scindit vestes:  
Augusta suas, laceratque comas  
Rigat & mæstis fletibus ora.*

Vnde in Sacris quoque literis pro ipsis rebus adversis lachrymas frequenter positas legimus v. g. *Eripuisti Deus de morte animam meam, oculos meos de lachrymis.* vid. th. VI. In funerum deductionibus ac publicis calamitatibus partim ex more adhibita sunt, partim sponte sua prodierunt: collecta enim in cerebro ex cordis mœrore tristitiæ nubes per largos hos quasi oculorum imbres resolvuntur; quæ quidem lachrymarum causa per se atque princeps merito judicatur, cum luctus ultimo suis sedibus ex oculorum angulis eas expellat, & ad ipsas etiam generandas haud parum conferat momenti.

XI. Cernimus quidem etiam gaudentibus oboriri jucundos fletus, quales non uno loco sacæ codex describit. Patriarcha cum a fratris Elavi ira profugus Rahelem Avunculi sui filiam primum intueretur, eandem amplexus præ gaudio flevit Gen. XXIX. v. II. post elapsos deinde plures annos in gratiam cum fratre rediens, sibi invicem alter in alterius complexu lachrymas gaudii propina-



pinarunt Gen. XXXIII, 4. simile gaudium copiosissimas Josepho Ægypti Præfidi ex aspectu fratrum suorum, Gen. XLV, 2. & Benjamini Gen. XLIII, 30. postremo etiam de crepiti, longisque annis non visi patris lachrymas extorlit.

XII. Nec raro externis a causis ac ex spiramentis radicum amararum sinapis, tumi, aliorum similibus lachrymæ provocantur. Ast hæc non tam lachrymas directe vel moraliter ut hic de iis loquimur causant quam perfecte jam factas, & exitui propinquas quasi protrudunt. Gaudia inopinata, quia plerumque longus moeror aut diuturnior tristitia præcessit, ab eadem attemperatas per accidens proferunt, quas per se nunquam intenderunt. De externis oculum contrectantibus idem fere est iudicium. Certe uti risus rem insuetam cum iucunditate admirabilem excipit: ita contrarius ei fletus merito tristitiæ defertur.

XIII. Constat porro soli homini convenire fletum, quod ei soli risus sit proprius: contrariorum vero commune est subiectum. Bruta densiori quam homo cute vestita parva sentiunt incommoda, & licet sentiant aliquando, clamore potius, quam lachrymis dolorem produnt. Quare vero homini lachrymæ imprimis conveniunt, ejus rei rationem haud ineptam eamque e corporis humani constitutione petitam (non jam loquor de facultate flendi, quæ est animæ rationalis proprietates æque ac risibilitas, sed de lacrymis ipsis) reddit Julius Cæsar Placentinus, tr. de Lachr. CXII. *Censeo, inquit, solum hominem flere, quod inter omnia animantia cerebrum adeptus sit pro corporis sui magnitudine amplissimum duplaque quantitate bovum cerebrum excedens. Illud itaque si tam vastum sit, si in tantam amplitudinem auctum,*  
quis



quis statim non iudicet, indigere hoc pluri alimento? neque sibi exiguam illam quantitatem, quæ cæterorum animalium cerebris alioquin potuisset sufficere, in hoc idoneum esse ad tantam molem enutriendam? Si magnum vasiumque sit cerebrum hominis, & majori indigeat alimento, colligere hinc facile est, pro tanta tamque copiola coctione plurima etiam excrementorum genera superesse, quibus natura sapientissime suum locum destinavit. Glandulas duas, etsi in aliorum etiam animantium oculis reperias, tamen ad exiguam humilitatem pro oculo ob nimium motum æstuante refocillando eas factas constat.

XIV. Videntur quidem bruta quoque animantia flere, & crocodilus antequam hominem devoret, lachrymari fertur, sed videntur & dicuntur solummodo flere, revera nec fient nec lachrymantur. Ut enim animantia bruta voce ac gestibus lætitiæ declarantibus ridere videntur, vere autem non rident: sic & quoties ululatu dolorem manifestant, lachrymari vulgo putantur. Nec porro quilibet humor oculo emissus lachryma est; Instar est lacrymæ, lachryma vera semper non est. Solum enim homini propriæ sunt lacrymæ, reliquis animantibus abusive aut per tropum vel κατ' ἀναλογίαν solum competunt.

XV. An vero & ter benedicto Servatori nostro lacrymæ vere ac formaliter competant, non sine controversia olim quæsitum fuit. Veterum nonnulli, inter quos Hilarius, contenderunt, Humanam naturam in Christo propter personalem cum Verbo Unionem, nullis passionibus fuisse obnoxiam: imo multis etiam aliis cætera doctis viris visum fuit indignum, Personam Filii Dei ἀδημονεῖν, & tanta consternatione conflictari, ut Angelo confortante indigeat, idque maxime ob eam causam, quod

B

Ar.



Arriani hoc argumento Divinam naturam Christo detraherent; quod ut eliderent Parres, lachrymas Christo Domino nostro quidam non concesserunt.

XVI. Verum uti Filius Dei humanam nostram naturam integram, cum omnibus proprietatibus essentialibus, tam constitutivis, quam consecutivis assumpsit; ita & flendi potentiam, unde sunt lachrymæ, ipsi competere tam certum est, ut neganti, aut ab ejus persona eam removenti ipsam humanitatem necesse sit evertere; cum, cui lachrymandi, eidem & ridendi (quæ hominis solius propria est) potestas desit, adeoque nec sit homo.

XVII. Nos scripturæ sacræ certissimo fundamento innixi, Christum vere flere potuisse & revera flevisse negandum non censemus, imo nusquam fere magis pietatem ejus demiramur: Minus enim contulisset nobis, nisi & nostrum suscepisset affectum. Præclare hac de re sunt verba S. Augustini lib. XIV, de C. D. C. IX. *Neque enim, inquit ille, in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Ille hos motus certæ dispensationis gratia, ita cum voluit, suscepit animo humano, uti cum voluit, factus est homo.*

XIX. Sacra certe Scriptura, sicuti *Φυσικά* illa καὶ ἀδιάβλητα πάθη, naturales & irreprehensibiles passionēs, (ut vocantur ab Evagrio lib. IV. cap. XXXIX,) videlicet: TVRBARI SPIRITV Joh. XIII, 21. CONTRISTARI Matth. XXVI, 18. EXVLTARE Luc. X, 21. GAUDERE Joh. XI, 16. aperte Salvatori nostro tribuit; sic & diversis temporibus lacrymas eum fudisse affirmat. Homo quippe Christus factus est ita, ut præter peccatum humani nihil, tempore exinanitionis ab ipso fuerit alienum; præcipue.



cipue cum & omnium humanarum calamitatum tristissimam crucem & mortem non declinaverit. *Κλησας enim την κεφαλην παρεδωκε το πνευμα Joh. XIII, 30.*

XIX. Quamvis autem de fuffis Christi lacrymis testante Scriptura res certissima fit; quoties tamen dolore correptus eas emisit, inter Ecclesie Doctores haud convenit. Holkot. Lect. XXCIIX. in lib. Sap. Christum septies flevisse asserit: 1. in nativitate, quando primam vocem emisit plorans, Sap. VII, 3. 2. In circumcissione ex dolore, quod probare conatur ex Heb. II, 17. 3. In Hierosolyma civitatis compassione Luc. XIX, 41. 4. In Lazari resuscitatione: quamvis hæc illis priores fuit Joh. XI, 25. 5. In Iudæ proditione, quod colligit ex Joh. XIII, 21. ubi dicitur: Quod cum dixisset Jesus, turbatus est spiritu, & protestatus est & dixit: Amen, amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me. Hanc animi perturbationem fletus expertem non fuisse arbitratur. 6. In horto, cum oraret & sanguinem sudaret. Luc. XXII, 44. Hic enim (ajunt) Christus toto plorabat corpore, ita ut undique prorumperent lacrymæ eaque sanguineæ. 7. In ara crucis quod Heb. V, 7. Apóstolus innuit. Alii Quatuor solummodo vicibus Salvatorem flevisse, colligunt, & 1. quidem statim in ipso natali, quod & Sanctæ Ecclesie hymnus confirmare videtur, his verbis: VAGIT INFANS INTER ARCTA CONDITVS PRAESEPIA. Secundo lacrymas fudisse dicunt, cum Lazarum e sepulchro resuscitaret. Tertias aspectis Hierosolimis. Quartas autem in ara crucis, ex oculis patientis largiter ebullisse. Et ne probabilitate destituatur ea assertio, addunt, significatum hoc fuisse quatuor nobilissimis Paradisi fluminibus. Quatuor enim de Paradiso Cordis Christi prodierunt flumina, quæ totam Ecclesiam irrigarunt, eamque a sordibus peccati ablu-

B 2

runt,



runt, contraque minutas concupiscentiæ flammæ eam refrigerarunt.

XX. Verum enim vero quamvis neutra sententiâ impia sit, vel hæretica nec de Christo homine aliquid humani, dempto peccato, alienum statuatur; præsertim cum & Propheta eum omnes infirmitates & passiones nostras in se suscepisse, ac tulisse confirmet, Jes. LIII, 5. imo posterior planiora Scripturæ S. vestigia legens, probabiliter quartum Christi lachrymarum tempus in nativitatem conferat; nisi forte vagitum infantis nomine lachrymarum indignum censeas, cum infantes proprie non flere, sed vagire dicantur, nihilominus tamen hæc passiones humanæ in actu secundo Salvatori nostro, non ex inevitabili necessitate nature, quam prohibere nullo modo potuisset, convenerunt, sed ab ipso libere quoties placuit vel officii ratio, & æterni Patris voluntas efflugetur sunt assumptæ. Nos enim, ait Augustinus, lib. XIV. de C. D. cap. IX. *illas affectiones habemus ex humanæ conditionis infirmitate; non autem ita Dominus Jesus cujus & infirmitas fuit ex potestate, & cum voluit, certæ dispensationis gratia eas suscepit, ut cum voluit, factus est homo.* Cum porro scriptura tacente nemini quicquam asserere temere in Sacris liceat, tutius est, cum clarissima scripturarum litera hic nos informet, tria lachrymarum Christi tempora dicere. Primum in resurrectione Lazari, Alterum in regio Salvatoris in sanctam urbem ingressu, Tertium in ara crucis, dum preces & supplicationes cum magnis clamoribus & lacrymis obtulit. Heb. V, 7.

XXI. Hæc distinctis temporibus ac locis suscipi Christi lachrymarum considerationem styllumque nostrum subibunt. Primas a Salvatore ad Lazari tumulum scriptura emissas ait:



ait: sic enim omnibus & dictionis & rerum maiestate sublimior, indeque merito Aquila dictus Johannes Cap. XI, 32, 33, 34. *Maria, inquit, cum venisset, ubi erat Iesus (erat autem adhuc extra castellum) videns eum, cecidit ad pedes Iesus, & dixit ei: Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo, ut vidit eam plorantem, & iudeos, qui venerant cum ea, complorantes infremuit Spiritu, & turbavit se ipsum & dixit: Vbi posuistis illum? Dicunt ei: Domine veni & vide. ET LACHRYMATVS EST IESVS. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce, quomodo amavit cum!*

XXII. Causas ad hunc fletum impellentes non obscure ex Evangelistæ verbis tres colligimus: Indignationem, Commiserationem seu Luctum, & Amorem, qui affectus potissimum ciere mortalium lachrymas consueverunt. Et indignatio quidem, tamen rarius in viris per lachrymas exire solet, in mulieribus tamen frequenter nec in viris omnino nullis fletum provocat, potissimum autem aliis affectibus, lachrymarum productivis conjuncta fortius easdem propellit. Fuisse autem Dominum ad Lazari tumulum indignatum apertissime testatur Evangelista: *Iesus, inquit, ubi vidit eam (Mariam) plorantem, INFREMVIT SPIRITV ET TURBAVIT SE IPSVM.* Non turbabatur, aut percellabatur ab iracundia, *SED TURBAVIT SE IPSVM.* Licet enim omnes humanos affectus suscepisset in naturæ assumptæ veritate, sine tamen peccato aut vitio, seu defectu omnes: quare non rapitur affectibus, aut extra se fertur, sed pro re nara intra se volens, eodem extra se ostendit. Præclare hanc rem D. Ægidius Hunnius comm. in h. l. explanat: *Scribit Iohannes, inquit, Iesum infremuisse spiritu, & se ipsum turbasse, i. e. non obscuris indiciiis quandam commotionem animi declarasse, & seria*



*indignatum esse adversus illum generis humani hostem, diabolum, cuius invidia mors in orbem esset introducta, ut sine discrimine, & promiscuis plane funeribus, non tantum malos, sed optimos quosque abripiat, cuius tristissima sortis recordatione serio irascitur dominus, quasi minas Satanae & morti intentans. NON ENIM CARUIT AFFECTIBVS HUMANIS CHRISTVS, TAMETSI A LABE PECCATI FVERINT REPVRGATI, quemadmodum hic fremitus NON CVM ANIMI PRAECIPITATIONE aut effreni impetu conjunctus, sed DEBITA TRANQUILLITATE ET PLACIDA MODERATIONE TEMPERTVS FVIT.*

XXIII. Misertus Servator noster h. l. est tum totius humani generis; tum plorantium defuncti sororum & iudeorum ad consolandas eas praesentium & collachrymantium. Erat solenne iudaeis, non modo antequam humaretur defunctus, vigiliis adesse tristantium, horumque luctibus verba dictare consolantia (quod haud obscure docent filii Jacobi *ad Patris*, amissum filium lugentis *solamen surgentes* Gen. XXXVII. v. 35. nec non Iobi tres cognati, Iob. II, II. qui per septem dies in pavimento taciti cognato assedisse leguntur) sed solebant etiam finitis iustorum ceremoniis ad lugentes propinqui aut vicini aut quicumque afflictorum misericordia moti ad hos consolandos divertere. Iuvat hac de re, oblata occasione adscribere R. Maimonidis verba ex cap. XIII, §. I. seq. ut citat exquisitissimus Geierus de Luctu Ebr. cap. VI, §. 24. *Pestquam sepeliverunt, ait, mortuum, congregantur lugentes atque stant ad latus sepulchreti, & cuncti funus comitati circumstant, series ante seriem, & nulla series infra numerum denarium, nec etiam lugentes infra hunc numerum. Item: Lugentes stant ad latus consolantes, sigillatim adeunt lugentes, hoc modo alloquentes: SOLATIVM OBTINGAT VO-  
BIS*



**BIS COELITVS.** *Postea lugens vadit ad domum suam, totoque luctus sepriduo accedunt ipsum מן בני אדם filii hominum ad consolandum ipsum, veniuntque tam personæ novæ (quæ antea nondum viderant) quam quæ fuerunt antea hæc. Ejusmodi solacium multitudo teste Evangelista d. I. quæ collugeret, apud Mariam & Martham, veniente in Bethaniam domino adfuit, eisque collachrymatus est Dominus, quippe qui & hominum malis una afficitur, Hebr. IV, 15. & omnes olim absterget de plorantium generis lachrymas. Apoc. VII, ult. Ef. XXV, 8.*

XXIV. Primas autem in hoc lachrymarum eluvio partes Amor habet; sic enim & Judæorum nonnulli Servatoris fletum interpretantur: *Ecce, ajunt, quomodo amavit eum! Nec fallo: Charum enim Dominus ob pietatem & charitatis officia, quæ sibi & discipulis præstiterat, habuit, ideoque frequenter apud eum diverterat: præcipue vero ob susceptam Evangelii salvificam fidem eum magni fecerat, hinc aperte amicum nominat. Lazarus amicus noster dormit Joh. XI, eod. Ejus ergo, quem tantopere amabat, obitum lachrymis doler. Non aberravero forte, si amoris plenas Domini nostri lachrymas typis ex antiquis sæculis illustrem: Nam & Josephi quondam Ægypti Præsidis erga uterinum Benjamin fratrem amor per lachrymas erupit. Genes. XLIII, 30. David Jonathanem, quem in germani fratris, imo in animæ propriæ diligebat loco (& ille illum contra, qui reciprocus amor est optimus) multis cum lachrymis amplexus & osculatus est. 1. Sam. XIX, 41. Dei autem filii amore quid ardentius, unde nec mirum largiores illi lachrymarum rivos fluxisse. Si enim juxta Poëtæ dictum οὐ δύνασθαι ἐνδάκρυον ἔχειν, quid mirum est optimum Dei Filium cujus præcordia præ amore filiorum hominum languent, in lachrymas adeo pronum fuisse?*

XXV.



XXV. Finis lachrymarum Filii Dei, quas ad Lazari bustum fudit, erat solamen lugentium: plorat enim earum commiteratione motus, ut pariter luctu suo & planctu commotum Dominum & calamitate sua serio rectum intelligeret, deque futuro auxilio spem conciperent firmiorem.

XXVI. Quo præcisè tempore fleverit Christus amicum a morte reducturus, dictu difficile est. Accidit certe in ultimo Christi itinere Hierosolymitano, quo non tam ad legale pascha celebrandum, quam ad semetipsum Deo Patri suo hostiam pro peccatis hominum offerendum sponte sua migravit. Certum fortasse diem nemo assignabit: crediderim tamen secunda ante Domini passionem septimana contigisse. Judæis enim audientibus Lazarum Virtute Domini vivum e monumento prodiisse, eundemque ante tempus ad necem quærentibus, *Christus aliquot dies in regionem juxta desertum, in oppidulum Ephrem discessit; ibique cum discipulis parvam moram traxit, nec aperte amplius, inter Judæos versatus fuit*, d. l. v. 53, 54. Die deinde septimo ante pascha judæorum reversus fuit Bethaniam ibique cum resuscitato Lazaro commoratus Joh. XII, 1. Septimus ille dies in X. mensis Nisan nostro Aprilii fere respondentis incidit. Evangelista enim ex judæorum consuetudine paschæ tempus denominat, qui non secundum Dei præceptum pascha suum a XIV. m. Nisan exoritur: sed ex Majorum tradita dispensatione in sequentis usque diei vesperam oblationem paschalis agni differabant, ne die quinto a Sabbatho, nostro diei jovis respondente agno sacrificato, textum festivo feriarentur, & succedente postridie ordinario sabbato, duo haberent contraria sabbata, ideoque quoniam XV. die suum judæi pascha comedebant retrorsum numeranti, sextus ante Pascha judæorum dies,



dies, in decimam mensis lucem incidit: hora enim ultima XV. lucis judæorum magni Sabbathi erat initium.

XXVII. Porro hic Christi fletus extra vicum Bethaniam, cum ad Lazari sepulchrum Dominus tenderet, accidit. Hebræorum enim mortui extra moenia consueverant sepeliri, vel IN AGRI SPELVNCA, quale sepulchrum Saræ suæ Abraham ab Ephrone Hetheo mercatus est Gen. XXIII, 16. penes quam postmodum ipse positus Gen. XXV, 9. Cui deinde Filius Isaac & nepotes adjuncti Gen. XLVII, 30. c. XLIX. 26. L. 13. & Ios. XXIV, 32. Sic & peregrini & hospites peculiarem Hierosolymis nanciscebantur agrum sepulturæ Matth. XXVII, 7. Et hæc causa est, quod extra urbem deportati leguntur mortui 2. Reg. XIII. Quædam vero sepulchra IN MONTIBVS AVT COLLIBVS excisa fuerunt: talia scriptura commemorat Elezari, qui sepultus est in colle Pinehas filii sui, qui datus fuit ei in monte Ephraim Ios. XXIV, 33. nec non Civium Bethel 2. Reg. XXIII, 16. Quin & HORTI extra urbem mortuorum κομωτήρια facti, quamvis principaliter voluptatis ergo soleant instrui. Sane Joseph egregius Servatoris nostri pollinctor, in horto suo perpetuum mortalitatis suæ monumentum in petra excindi curaverat Matth. XXVII, 60. Denique SVB PATVLA AC VM-BROSA QVERCV Debora sepulta legitur Gen. XXXV, 8. quod sepulchrum hodiernum ostendi Adrichomius Theat. T. S. fol. 16. n. 42. refert. Itemque Saulis & filiorum ejus ossa sub quercu recondita esse ex I. Sam. XXXI. ult. discimus. Quamquam NEC INTRA VRBEM AVT VICO-RVM SEPTA nullorum sepulchra fuerint. Regi enim Manasse et Ammoni monumentum in horto, regie continuo fuit, 2. Reg. XXI, 18. 26. in quo Sanctius illustre aliquod mausoleum, regio cadavere dignum ab ipso Rege adhuc vivo



constructum fuisse existimat; quo non immerito referas magni & fidelis Domino Propheta Samuelis sepulturam, que בְּבֵיתוֹ כְּרָמָה in domo sua in Rama conditum. i. Sam. XXV, 1. & Ioabi, quem i. Reg. II, 24. בְּבֵיתוֹ In domo sua sepultum legimus. Vbi dubio procul Synecdochice area domui contigua, vel quicumque locus domui coharens, extra tamen eam situs intelligitur. In ipsa namque domus area aut tecto vel cella humatos non existimo, cum suo modo iudæis immunda sepulchra divina lege fuerint, siquidem Num. XIX, 16. 18. *Quicumque ruri inventum occisi vel per se mortui hominis cadaver attigisset, septem diebus immundus habebatur*, ordinarioque ritu & ceremonia purificandus & expiandus erat. Quare extra habitaculum, in loco paululum remoto, ne in sepulchri contrectationem facile inciderent, nec contaminarentur, sepeliri curarunt defunctos. Lazari vero tumulus, cum teste Johanne d. l. v. 29. fuerit locus, in quo Christus fleuit, evidens est extra civitatem has Christi lachrymas fusas. Sed altera Christo flebilis hora instat. Properemus ergo & in hoc etiam fonte sacro & Salvatore & nos ipsos contemplemur.

XXIIX. Eas a Luca descriptas legimus his verbis: Καὶ ὡς ἤγγισεν, ἰδὼν τὴν πόλιν ἔκλαυσεν ἐπὶ αὐτῇ λέγων. Ὅτι ἐν ἔργῳ καὶ σὺ h. e. *Et ut appropinquavit videns civitatem fleuit super eam dicens: Quia si scires & tu &c.*

XXIX. Prima hic loci & temporis circumstantia se offert: Salvator enim has secundas lachrymas Hierosolymis propinquus effudit, in descensu montis olivarum, qui clivus sanctam urbem ingressuro superandus erat. ὡς ἤγγισεν ἰδὼν τὴν πόλιν. Ob vicinitatem scilicet Vrbs in cacumine montis oculorum sese aspectui ingerebat: Sanctus quippe Lucas Act. 1, 12. *Olivarum montem itinere Sabbathi*  
Hiero-



Hierosolymis abesse scribit, quod quidem spacium a diversis diversimode definitur. Iosephus lib. XX. Antiqq. cap. VI. §. 12. eum montem e regione urbis ad quintum abesse stadium affirmat. Stadium autem definiente Suida est μέγες τι τῆ λεγομένη μιλίε. Ἐπτα γὰρ ἡμῶν στάδια ποιεῖσι μίλιον τὸ δὲ στάδιον ἔχει πόδας χ'. ὁ πᾶς δακτύλος ις' h. e. Est (stadium) pars quedam spacii, quod dicitur milliare. Septem enim Stadia cum dimidiato faciunt milliare. Habet vero stadium pedes DC. Pes vero digitos XVI. Herodotus in lib. II. Hist. quem Euterpe intercipit. pag. m. 202. interprete Laurentio Valla, inquit: Centum iusti passus sunt stadium unum, sex (passus) iugerum. Passus mensura sex pedum, sive IV. cubitorum; Pes autem IV. palmorum, cubitus vero VI. palmorum. Dilucidius paulo quamvis diversè Tremellius: Iter, inquit, quod apud Hebræos Sabbato emetiri ex veterum traditione concessum est, hic definitur, esse STADIORVM CIRCITER VII. STADIUM autem sciunt omnes CXXIV. PASSVS continere, atque octavam milliaris Italici partem. Diserte itaque Syrus Paraphrastes docet: Iter Sabbati ultra milliare unum non excedere: Quam sententiam Hebræi clarius etiam explicant, atque confirmant in Talmude tr. i. ערויך c. IV. Vulgo tradunt, spacium quod emetiri licebat die Sabbati fuisse bis mille cubitorum. Cubitum autem metiuntur palmis minoribus, quos Græci vocant παλασσας, quorum quilibet continet IV. pollices: sex autem simul, cubitum unum efficiunt. Cubitus passum minorem constituit qui Geometrici pars est media. Vnde necessario colligitur Sabbati iter duobus quidem mille passibus definiti, sed minoribus, qui milliare unum duntaxat conficiant. Hæc Tremellius. Carolus Sigonius lib. V. de Rep. Heb. cap. ult. de δευτερώσει, sive traditionibus Phariseorum differens super h. l. Eucharium citat his verbis: Sabbati iter significare mille passus: quia Sabbato usque ad montem



*oliveti ire Judæis licuerit, vel certe sicubi fuissent; tanto spacio deambulandi licentiam præsumperint.* Posterior mille tantum passibus sabbati iter definit, cum Tremellius duo passuum millia deambulare concessum fuisse dixerit, a quo tamen Sigonius non abit, quod hic majores, h. e. Mathemáticos, ille minores & judæis usitatos passus sive cubitos intelligat. Conciliari hi cum Iosepho possunt, quod hic definiendo olivarum montis ab Hierosolyma distantiam certo & rotundo numero pro majori utatur, nec de investigando excessu multum sollicitus fuerit: illi vero Hebræorum testimoniis innixi, paulo ad veritatem propius accesserint. Ex adverso ergo nec adeo procul ab Hierosolymorum urbe Dominus noster in secula benedictus inuens civitatem lachrymatus est.

XXX. Temporis circumstantiam quod concernit, flevit die quinto ante Pascha, cui se Salvator noster ultima vice corpore aspectabili sistere tq. Sionis Filia Regem, cujus manu infernales copiarum collapsuræ, & tq. Sacerdotem, cujus proprio corpore oblato, & sanguine fuso iustissimus æterni Patris furor placandus & hominibus reconciliandus esset; Univerfoque hominum generi ceu unicam humanæ salutis vindicem publice ostendere volebat. Et jam quidem dudum stupendis miraculis, supra naturæ vim sanatis ac depulsis morbis, ejectis dæmoniis infana rabie frementibus ac indignantibus, inque vitam revocatis defunctis se naturæ torius Architectum ac Dominum, inferni debellatorem, mortis victorem & Dæmonum percussorem offenderat; nec eam ob causam immerito faustis vocibus exceptus subjectisque vestibus, & sparsis per viam palmæ frondibus Rex benedictus salutabatur, celebrique pompa stipatus augusta ad penetrabilia, ad sanctæ Sionis templum deducebatur, adversariis licet ægre ferentibus, ac obstupentibus,  
de



de quo sic Lucas d. l. v. 38. ἐγγύζοντες δ' αὐτῆς ἤδη πρὸς τῆ καταβάσει τῆ ὄρας τῶν ἑλαιῶν, ἤρξαντο ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν χαίροντες ἀνεῖν τὸν θεόν Φωνῆ μεγάλη περὶ πασῶν, ὡς εἶδον δυνάμεων, λέγοντες. εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος βασιλεὺς ἐν ὀνόματι κυρίου, εἰρήνῃ ἐν οὐρανῷ καὶ δόξα ἐν ὑψίστοις ubi obiter observa Lucam non exprimere vocem Ὡσαννὰ a reliquis Evangelistis expresse positam, Matth. XXI, 9. Marc. XI, 10. Joh. XII, 13. Rationem Capnio lib II. de verbo miris. c. XI, (ubi plura ex novo Testamento sphalmata notat) hanc reddit. Cum reliqui Evangelistæ corrupte ex Pl. CXIIX. vocent Ὡσαννὰ transcriperint, maleque Græca indole ὦσαννὰ pronunciaverint, quod forsasse genium satis familiarum sibi non reddiderint; Lucam quippe Græcum natione, Græcaque eruditione insignem, maluisse rem ipsam vel sensum Græca paraphrasi transcribere, quam corrupte scribendo infidelibus Iudæis aut imperitiis Ethnicis sanctum Evangelium ridendum propinare. Sed vereor, ne hoc cum injuria Evangelistarum sit dictum. Itaque huic rationi nolim subscribere. Sanctus Johannes, qui postremus omnium Evangelium suum scripsit, faustis acclamationibus & exserta voce Hosanna Christum exceptum esse a populo scribit l. c. v. 12. 19. *Multa, inquit, turba, quæ venerat ad festum, cum audissent quod veniret Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum & obviam ei processerunt, & clamabant ὦσαννὰ Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel. Testificabatur ergo turba quæ erat cum eo, quando Lazarum vocavit de monumento, & suscitavit eum a mortuis.* Inter medios hos populi & piorum discipulorum applausus, dum rex salutatur ac benedicitur urbem respicit ac plorat.

XXXI. *Causam hujus fletus Christi notat Evangelista dicens: ἰδὼν τὴν πόλιν ἐκλαυσε ἐπ' αὐτῆς videns civitatem fle-*



vit super eam: urbis nomine & ipsam & incolas intelligens: hujus quippe aspectus tantam doloris materiam Sancto Redemptori nostro suppeditat, ut inter lata júbila & summos quibus afficiebatur honoris titulos, in lachrymas solveretur. Obversabatur enim omniscientia ejus oculis horrenda Hierosolymitani populi clades & terribilissimum urbis excidium enormibus incolarum flagitiis decretum. Refert hanc causam ipse Servator dicens: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui valle, & cingent te, & coangustabunt te undique, & solo equabunt te, & filios tuos in te, & non relinquent in te lapidem super lapidem.* Undique ex aspectu urbis lachrymarum causâ & tristitia materies sese obrulit.

XXXII. Vrbs toto terrarum orbe nobilissima erat & celebratissima, quæ, atatem si spectes, nihil antiquius: a Jebusitis enim Abrahami jam avo Jebus vocabatur, si conditores, nihil nobilius, Reges enim potentissimos, & addam Deo charos habuerat: quippe quam David Jebusæis ademptam operibus pulcherrimis & stupendis adornaverat, & ejus Filius Salomo duobus magnificentissimis XX. annos tota ferme Palæstina opus faciente extructis ædificiis Templo & Regia auxerat; si structuram, nihil admirabilius: exsplendenti enim & candido marmore constructa fere omnia erant. Si ædificia, nihil dicentius, nihil juxta vicos & partes urbis artificiosius tanquam una essent privatorum contignatio, positum erat; magnatum vero ades & cellitudine molis & dignitate structura & firmitate materia, (ex marmore enim pleræque puro) admirationi erant, ut quid primum in iis admirari oporteret, dubitasset. Si situm & æris temperiem, nihil hac urbe salubrius; montibus enim imposita erat, & civitatis sordibus oculos per meatus abductis ad salubritatem facta omnia erant; si incolas, nihil iis  
ex-



excellentiſſus, quippe ex omnibus gentibus collecta manus erat, omnipotentis Dei manu Ægypto educti quique multos jam annos sedem ejus terræ & imperium tenuerant. Si fortitudinem, nihil illis incolis animolius; acerrimos enim frequentissime hostes depugnaverant & felicissime fuderant. Si bellandi artes, a Deo ipſo instructi & propugnati contra hostes prodierant, & salutare dei, ipſi ocioſi spectarant. Si religionem, ſoli Hieroſolymorum & Judææ incolæ verum Deum agnoſcebant, & oblatiſ primitiis, donariis, Sacrificiis & Holocauſtis colebant; ſi felicitatem, ipſe Deus inter eos habitabat. Pſal. XXCV. Hoc præſide illic judicia agebantur, juſte omnia gubernabantur, cujus ſanctum nomen in templo invocabatur, ad cujus monitum & reſponſa vias ſuas informabant, cui omnes gentes ex omnibus terrarum partibus dona ferentes ſupplicabant.

Vno verbo, vates ſacer de eadem vere ac ſuaviter.

*Abramidarum cæteras urbis ſuprà  
 Dominus Sionis diligit  
 Portas, Sionis imminet quæ montium  
 Fundata Sanctis collibus.  
 O prædicanda poſteris ſæclis Sion  
 Beata mater urbium!  
 Tecumne Babylon audeat componere?  
 Tecumne Memphis inſolens?  
 Præclara quamvis & Paleſtina & Tyrus  
 lætet virorum robora:  
 Nihil ad Sionem fortibus factam viris  
 Favore tutam numinis.*

Tan-



Tentam urbis & antiquæ & firmissimæ, juxta se pulcherri-  
 mæ gloriam respicienti majas præbere Salvatori gaudium,  
 quam incerorem poterat: Quis enim tantum pulcherrimæ  
 urbis splendorem non miretur? Quisve marmoreo illo, &  
 aurato inter ebora distincto cælo non gaudeat? Quæ ergo  
 ratio ob quam Sanctus Sionis Rex urbi suæ illachrymat?  
 eam sequentibus verbis exponit: *Ὅτι ἐὶ ἔγνων καὶ οὐ καίηγε*  
*ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ τὰ πρὸς εἰρήνην σου. ἢ ἐν δὲ ἐκούσῃ εἰπὸν ἀφ' ὀφθαλ-*  
*μῶν σου.* Peccatorum veterno videlicet oppressi in utram-  
 vis aurem securi dormiebant, nihil Numinis vindictam mo-  
 rati, nec de salute sua solliciti.

XXXIII. Salvator solemnè in urbem ingressu regem  
 se commonstrabat. Sionis & salubatur, mox corporis  
 sui sanctissima in ara crucis oblatione Sacerdotis opus exa-  
 cturus, jam cum lacrymis vaticinando, clademque suam  
 urbi prædicando Prophetam a Deo missum sese testatur  
 perfectissimeque has sui muneris partes obit. Primo enim  
 populo improbitatem suam exprobrat, quod veterum Pro-  
 phetarum fere primarium erat munus: *Clama*, inquit *Do-*  
*minus ad Jesaiam cap. LIIIX, ne cesses, quasi tuba exalta*  
*vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & Do-*  
*musi Iacob peccata eorum.* Et ne metu periculi segnius  
 hoc facerent, adduntur præcepto minæ, quod iacente Pro-  
 pheta pereuntis impii sanguinem de manu ejus requirere  
 dominus velit. *Ezech. III. 17.* Sanctus vero Salvator noster  
 se a Domino missum dicit, *Ies. XLI, 1. cui Dominus in ore*  
*verbum suum posuisse, ac si quis iisdem auscultare noluerit*  
*se ultorem dicit fore.* *Deut. XIII. 17.* Vt ergo veteres illi  
 SS. Prophetæ castigandis auditorum criminibus plurimum  
 operæ suæ tribuerunt; Ita a Patre in orbem missus Prophe-  
 ta cum primis ob peccata homines objurgat. Et hic qui-  
 dem, inquiens: *si scires & tu etiam in hac die tua ea que*  
ad



*ad pacem tuam!* Quibus verbis etſi deſperatam judæorum improbitatem, perditamque ſecuritatem incuſari dubium non ſit, tamen nihilominus interpretes de eorum ſentū diffidium eſt.

XXXIV. Cajetanus enim & Ianſenius perfectum Chriſti verborum ſenſum, nec quicquam iis addendum eſſe cenſent; alii ellipticam orationem & ob mœrorem abruptum ſenſum, additis quibuſdam præ mœrore omiſſis, complendum eſſe cenſent. Illi (reſerente B. Gerharδο Harmon. Evang. cap. CXLV.) 1. Particulam *ei* in ſenſu optandi exponunt, *O ſi*, vel *utinam ſcires!* id enim frequenter uſu venit, ut Odyſſ.

Εἰ γὰρ ἐμοὶ τόσσην δὲ θεοὶ δύναμιν παραθήεν. γ.

*Vtinam mihi tantam Dii facultatem adderent!* Et apud Lucianum in Caucaſo: *εἰ γὰρ γένοιτο ταῦτα. utinam hæc fierent!* Eo ſenſu ulurpatur à LXX. pro *וַי* Iofua VII, 7. *Εἰ καταμενάμεν, utinam manſiſſemus!* 2. Syrum adhibuiſſe pro *ei* particulam *וְאֵל* quæ eſt ab Hebr. *וְאֵל* 3. Non niſi neceſſitate urgente dicere dicunt extrinſecus ſupplementa inferere, proque lubitu etiam clariffima depravare. 4. Hieronymum Comm. in Ef. XXIX, 59. It. Mich. II, & Theophylaſtum in cap. XIX. Luca ita exponere, quando citantes hæc verba nihil iis de ſuo addunt.

XXXV. Aſt altera ſententia ſine dubio verior eſt, quæ ſermo hic defectivus eſſe creditur, quod, ut Euthymius cenſet, præ affectus vehementia flentes verba ſoleant interrumpere. Duo enim hic graviffimi in Domino affectus concurrunt, indignatio ſimul & commiſeratio. Illa  
D  
da-



damnabilem judæorum securitatem detestatur, hæc miserandum urbis excidium acerbissime fert. Cui sententiæ Budaus subscribens, *orationem hanc defectivam esse hominis partim miserantis interitum, partim perfidiam ac contumaciam exprobrantis affirmat.*

XXXVI. Rationes alterius sententiæ quod attinet, ex tan æ non sunt, ut nostram propterea sententiam deleamus. Nam 1. nihil nobis Hieronymi vel Theophylacti sententiæ præjudicat, qui nec de interpretatione huius loci agunt sed ex accidenti tantum allegant; nec ipsi quoque tantum sibi autoritatis tribuunt, ut convenientiori interpretationi locum cedere nolint. Nec 2. hæreticis aliquam ad depravandum locum licentiam damus: verba enim ipsa ut sonant, & ut formaliter significant, accipimus: quin 3. necessitate adacti aliquid, non alienum, sed quod & sensui Spiritus S. & verborum conveniat, subintelligendum censemus, quod præ dolore & indignatione Dominus effatus non sit, sine quo tamen sensus imperfectior erit. Ast 4. majus ex altera sententiæ periculum impendet, quando in oporandi significatione particulam *et* accipi volunt: Quamvis enim apud quosdam profanos scriptores, & in ipso Veteri Testamento commode interdum sic exponi possit, nondum tamen hic loci pariter sumendum, sequitur: cum tali sensu nunquam fere apud Evangelistas occurrit.

XXXVII. Porro Salvator ut fidelis propheta judicis emendationem suadet, & ni vitam corrigant, supplicium denunciat. Hic mos Sanctorum V. T. prophetarum constans fuit. Moses omnibus antiquior, in populi sui perfidiam prius invecus, calamitatem ipsis in cygneo suo prædicit. *Deum inquit, qui te genuit reliquisti, & oblitus es:*

es:



es Domini creatoris tui (Quare inquit Dominus) Congregabo super eos mala, & sagittas meas implebo in illis - gens absque consilio & sine prudentia. Utinam saperent, & intelligerent, & novissima praeviderent. Quanta vero opera suis conversionem Iesaias suadere conicitur: magis enim tauris pariter & asinis desipere dicit. Cognovit inquit, bos possessorem suum, & asinus praesepe Domini sui: Israel autem me non cognovit, & populus meus non intellexit. Inde minas adiungens pergit: Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filii sceleratis. Poenas autem cap. II. eloquens, Ecce, inquit. Dominator Dominus Exercituum auferet a Ierusalem & a Iuda validum & fortem, omne robur panis & omne robur aquae, fortem & virum bellatorem. Idem labor Ieremiam & reliquos fatigavit. vid. Jer. VII. 3. c. IV. 1. & alibi passim. Ad eundem modum Sanctus Propheeta caelo missus conversionem suadet & exitium certo futurum minatur, quando ait: Si & tu scires etiam hoc tempore tuo (peccatorum tuorum gravitatem & quae tibi ob eandem a tergo pericula instent, ) etiam in hoc tempore tuo, (quo tibi etiamnum gratia ianua patet) quaerereres profecto & provideres ad pacem & salutem tuam, tum secularem, tum aeternam quae conferrent. Ast haec abscondita sunt ab oculis tuis, ita excocata es malitia, ut, licet ea me vate frequenter audieris, obstructas nihilominus aures, & corruptos malitia sensus habeas, ut in omne scelus haud retinenda ruas. Verum enim vero nimis sero delebis, cum te super venient dies, quibus inimici tui circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent, te & filios tuos, qui in te sunt. &c.

XXXVIII. Adduntur vaticinio & propheticae con-  
 cioni lachrymae, quibus ad cogitandum & plorandum  
 D 2 instans



instans periculum, secures permoveat & excitet. Imitatur & in hoc Dominus veterum Prophetarum morem, qui inter concionandum auditorum terribilia fata cogitantes medios sermones lachrymis abruperunt.

*Vellent plura loqui, successu sed caret usus:  
Credebant voces fundere, luctus erat.*

Iesaias imminentem Valli visionis (i. e. Jerusalem) a Babylonis tristem calamitatem perpendens, & auditoribus annuncians, non sine acerrima animi consternatione & populi motu exclamat: *Dixi recedite a me, amare flebo! nolite incumbere ut solemini me super vastitate populi mei. Dies enim interfectionis & conculcationis & steruum a Domino Deo Exercituum in Valle visionis* Nec sine lachrymis Ieremias populo hæc concionatus est, cap. XIII. 16. *Date Domino Deo vestro gloriam, ante quam conzenebrascat, & offendant pedes vestri. Quodsi hoc non audieritis, IN ABSCONDITO PLORABIT ANIMA MEA a facie superbie: PLORANS PLORABIT ET EDVCET OCVLVS MEVS LACHRYMAM, quia captus est grex Domini. Clarius idem in threnis: c. II, II. Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra jecur meum super contritionem filie populi mei. Eam enim ob causam in cap. XI. v. I. fontem aquarum oculis suis optat. Quis dabit iniquis, capiti meo aquam? & oculis meis fontem lachrymarum? ET PLORABO DIE AC NOCTE interfectos populi mei. Scilicet minus moventur securi comminationibus prophetarum, nisi ipsi magnitudine mali terri contestentur. Ea concionum consuetudine post prophetas usi etiam sunt Apostoli. Paulus non desit tribus annis noctu pariter ac die auditores suos. (Ephesios)*

*c. 1112.*



cum lacrymis hortari Act. XX, 31. Et v. 19. *Vos scitis, ait, a prima die ingressus mei in Asiam, qualiter vobiscum per omne tempus fuerim serviens Domino cum omni humilitate & lacrymis.* Nec minus primitivæ Christianæ Ecclesiæ patribus ea consuetudo fuit. S. Ambrosius omnium lapsorum confessionibus commiseratus, propriis lacrymis contritionem & veræ pœnitentiæ lacrymas, quibus solis futuræ iræ incendia exstinguerentur, edocuit. His omnibus Propheta Doctor & Pontifex noster, potens verbis & virtutibus coram Deo & omni mundo, copioso lacrimarum flumine tantum antecellit, quantum in ipso ardentior populi sui *σοφῆ* & cum illorum damnis gravior *συμπάθει* fuit.

XXXIX. Eius ominosa lacrymarum concio futuros urbis & populi casus, velut tanti luctus causam explicat, nimirum: *venient in te dies & circumdabunt te inimici tui vallo, & angustabunt te undiquaque & solo æquabunt te & filios in te.* 2. Causa mali tanti additur, impietas, & damnanda securitas.

XL. Id varicinium Domini, perdurante judæorum improbitate implētum est, XL. post sublatum in Cœlos Redemptorem nostrum, cum sub Pascharis festum, quo, non omnis solum judæa, sed ex omnibus fere terrarum finibus innumerabilis multitudo, ad sacra Hierolymis obeunda confluerat, Romanus exercitus Fl. Vespasiano & filio ejus Tito ducibus, urbem obsidione clauderet, cum juxta prædictionem Domini incolæ & omnis congregata multitudo omnibus partibus miserrime affligerentur. Primam quidem misera civitas afflictionem a filiis suis, libertatis suæ, uti jactabant, defensoribus experta est: Nam cum nondum a Romanis obsideretur, a-

D 3

liquor



liquor seditioforum millia tanquam ad defensionem ejus urbem irruerant ingressisque tyrannidem ac populi cædes exercebant & rapinas, tantasque ab iisdem civitas passa est injurias, quanta nec Romanorum, licet hostium, justitiæ fuisset inferre, nec humanitatis postulare: Nec enim crudelius unquam a Romanis passi sunt, quam seipsi tractarunt. Primus Patriæ proditor Johannes fuit, homo veneficus & fallax. Is cum suis Giscalæ præsidio pulsus, ut in urbem venit, cultum Dei reformare cepit, depositisque sacrificiis ordinariis de infirma plebe sacerdotum sorte legit, Romanorum sacrificia repudiavit, & cum sacrificantibus offerentes telis ad aram interfecit. Graviter id terrene populo *seditiosi adversus ejus urbem Dei templum sibi castellum ac refugium fecere, sibi que Zelotarum nomen arripuere, tanquam bonarum profissionum* (ut ait Josephus lib. IV. de bell. jud. c. 5.) *æmuli, ac non qui pessimorum immanitatem superassent.* Ananus vero summus Pontifex de vocandis adversus sceleratos in auxilium Romanis, congregato sacerdotum concilio consilium cepit. Quod cum per occultos interpretes seditiosi resciscerent, Johannes vehementi oratione adstantes socios terruit, maximum, nisi advigilarent, imminere periculum affirmans, qui brevi consilio capto, in sui defensionem *idumeos* vocarunt. Hi sub primum adventum clausis portis urbe sunt prohibiti, dolis vero Zelotarum sub noctis tenebris & cœli tempestatibus introducti, & quod natura ad cædes crudelissimi essent, nemini pepercerunt: multos enim cognationem referentes, utque commune sanum reverentur, orantes, transfixerunt. Nullus autem fugiendi locus, neque spes fuit: Circumventi ergo & incerti quid agerent, in civitatem se præcipitavere. Istius ergo noctis octo millia & quingentos mortuos dies invenit. Nec tamen bis idumæorum ira satiata est. Sed versis in civitatem manibus, omnes do-  
mus



mus diripere, quemcunque forte inoenissent, morti dedere. Et cetera quidem multitudinis caedem supervacua ducen-  
tes Pontifices pervestigare, quos statim comprehensos ob-  
truncarunt. Idumæis autem urbe iterum emissis, Zelotæ  
cædes duplicarunt; unde mortui per omnes vicos cocer-  
vati innumeri. Sepelientibus autem suorum corpora im-  
pendit supplicium mortis, statimque sepultura indignit,  
qui eam alteri præstitisset. Contra hos tertium sibi indu-  
xerant oppidani Simonem, ab Anano Pontifice Præfectu-  
ræ Acrabatanae toparchiæ pulum, viarum & oppidorum  
prædonem. Is cum suis urbem ingressus moxque tam iis  
a quibus vocatus erat, quam contra quos venerat, inimicus  
factus, utrisque cædis sitientem animum ostendit. Mox  
trifarum divisis Invidiatoribus, sanguine & cætorum cada-  
veribus opplecta sunt omnia. Hoc primum malum per  
civium viscera sævit.

XXI. Hoc insecutum est alterum, nempe *incendia*  
creberrima & sævissima. Iohannes enim & Simon con-  
certantes, quoties alter pepulisset alterum, ædes frumenti,  
omniumque utensilium plenas, incendit, hoc modo conti-  
git exuri una fere omnia ad victum necessaria.

XXII. Hoc secum traxit tertium, reliquis omnibus  
multo sævius malum, *Famem*. Frumentariis enim domi-  
bus incensis, paulo minus omne frumentum absuntunt  
est. Cum enim jam nulla superessent palam frumenta,  
milites domos scrutabantur: Direptis vero omnibus, Vxo-  
res viris, & filii parentibus, & matres cibum infantibus ex  
ipso ore rapuere, & marcescentibus inter manus nemo  
pepercit. Quin & ubique affuere qui ista edentibus eripe-  
rent. *Milites enim scubi clausam domum vidissent, eos qui  
intus erant cibum capere suspicati, statim ruptis foribus ir-  
ruere.*



ruere, victumque jam contusum dentibus, ex gutture pæne, faucibus strangulantes, revocavere. Acerbissimi autem a militibus cruciatus excogitati sunt, dummodo alimenta reperirent: horrendaque auditu quisque passus est in unius panis confessione. Omnia denique dentibus necessitas subegit, cingula, calcesamenta, coria scutis detracta, quin & fœni veteris laceramenta victui habita. Postremo mulier nobilis ac dives, fame ac iracundia incensa, filiolum infantem lactantem occidit parteque cocta & absunta, reliquam irruentibus militibus objecit, utque comederent, neque vel fœmina molliores vel matre misericordiores essent, hortata est. Quod factum tanto Titus imperator detestatus est odio, ut nefandum scelus se ruina patriæ operturum dixerit, passurumque ut Sol inspiceret civitatem, in qua matres sic vescerentur, negaverit. Hæc mala intra urbem miseròs afflixerunt.

XLIII. Secuta est postmodum *Expugnatio* luctuosa & tristis: Urbis olim pulcherrimæ & firmissimæ ruina: Templi aureo cœlo parentis flammatio. In quod tot piorum Regum congesta donaria, tot annorum, tot populorum impensa, tot hominum ingeniosissimorum labores, tot denique artificum monumenta & gloria uno die interierunt. Plusquam quadraginta millia ex populo servati in exilium secessere. Quos vero suppliciis ad dictos in Cæsaris triumphum captivos abduxerunt, eorum supra duo millia quingentos, cum Cæsar ageret partim cum bestiis pugnantes, partim igne cremati, alii inter se digladiantes occubuere. Hæc populi sui mala cuncta Salvator prævidens. In ipso illo loco, quo Romani postmodum castra posuerunt, prædixit ac dessevit.



XLIV. Supra omnia autem urbis & populi corporalia damna, maxime miserrimus tot hominum aternus interitus Dominum affecit, quos nullis hortationibus, nullis precibus nec minis ad meliorem mentem adduci posse perspiciebat. Nec defellit Dominum ratio. Tota enim civitas, postquam Salvatorem mundi infelici ligno suspensum interemisset adeo nefariis contaminata est impietatibus, ut Deus parcere etiam volens, tenere amplius manum nequerit. *Sacra omnia ludibrio habita, cædes virorum & feminarum injurie pro ludo habita. Addita belluinis voluptatibus sunt Sacrilegia.* Ut scriptor harum rerum inculpabilis populi sui factorum testis Iosephus, afferret: *Putare se, si Romani contra noxios venire tardassent, aut biatu terre devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram, aut fulmen ac Sodomorum incendium passuram: multo enim magis impiam progeniem tulisse.*

XLV. His omnibus malis quisquis Dominum illachrymantem viderit; nemo facile Deum humanam salutem serio curare, & asseram velle sine impietate negaverit: fortiter quippe hæc serio dixisse Salvatorem testantur: *Quando se filios Hierusalem congregare voluisse, ut gallina pullos vocare sub alas solet; Sed eos noluisse, protesta-* tur. Matth. XXIV. *Quod si enim quis recte hæc reputet* (Dicam cum Iosepho lib. VII. de bell. c. XII.) *Profecto inveniet. Deum quidem hominibus consulere, modisque omnibus præmonstrare, quæ sint eorum generi salutaria: ipsos autem ob dementiam suam malis voluntariis interire.*

XLVI. Fuere tamen, qui has Domini nostri Lachrymas in dubium vocarunt: Nam Epiphanius in Ancorato. (pag. 482. Gr. pag. 954. Lat. edit.) orthodoxos quosdam hoc olim errore aspersos fuisse, & ad suos sensus sacrum textum corrigentes verbum *ἐκλαυσε* Græco textu expun-

E

xiffe,



xiffe, refert. *οι δε θεδοξος, inquit, αφειλαντο το ριπον (εικλαυσε) φοβηθεντες και μη νοησαντες το τελος, και το ιχυροτατον. Cui quidem temeraria correctioni idem recte opponit antiquissima exemplaria, quae αδιερρωτα αντιγραφα ipse vocat haberi, quae illam correctionem non sustineant. Nec audiendi quoque sunt illi quamvis pii & docti a B. Chemnizio audiant, qui indignum putarunt persona Filii Dei αδημονειν, tantaque consternatione angi, ut pra dolore lachrymetur. Quamvis enim ha lapsus poenae, caetera naturalis infirmitatis, in θεανθρωπον proprie non cadant, nostrae tamen miseris miseriae sponte in se eas suscepit, quibus alias, uti humana natura non assumta, carere potuisset.*

XLVII. Ultimas suas lachrymas Salvator noster in ara crucis effudit: de quibus Apostolus Heb. V. 7. loquitur, dum aeternum & inculpatum Sacerdotem nostrum in die carnis suae preces & supplices μετὰ κραυγης ιχυρος και δακρυων Deo Patri obtulisse dicit. Quamvis autem diversis locis ac temporibus Dominum lachrymarum hactenus viderimus, nec in summis horti Gethsemane angoribus sine lachrymis luctarum fuisse verosimile sit, digitum tamen Apostolus in clamorem illum intendit, quo in cruce post trium horarum tenebras a Deo Patre se derelictum querulans *Φωνη μεγαλη ανεβησε: Deus meus, Deus meus! Quare me dereliquisti.* Et hisce quidem verbis ferventissimas lachrymas fuisse conjunctas, ex Psalm. XXII. 2. Unde preces & clamorem suum Salvator transsumfit confirmatur: Sic enim Propheta, Sancti Messiae personam gerens ibidem: *רחוק מישועתי רחוקי רחוקי Procul a Salute verba rugitas (ploratus) mei: vox quippe רחוקי* Quamvis propria sit leonum, hic tamen pro ploratu & lachrymabilibus lamentis accipiendum aliis e locis apparet. Sane Rex Propheta pra: cordis angore & conscientia



tia tormentis se rugire conqueritur Pf. XXXIIX, 9. & Pf. XXXII, cum tacens peccatorum pondere permertur *quotidianis rugitibus suis sibi ossa exaruisse* conqueritur. Quæ loca de gemitibus dolentiumque clamoribus accipiendi docet ὁ πᾶν. Salomon Glaffius Rhet. Sac. tit. de Meraph. tr. 1. cap. XI p. m. 321. Itaque in cruce Filii Dei preces ac rugium comitatum fuit ingens lachrymarum agmen.

XLIIIX. Causam huius ultimi flectus sui pandit Salvator his verbis: אֱלֹהֵי אֲבוֹתַי לָמָּה עָזַבְתָּנִי Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?

XLIX. Causas, quare Salvator a Deo se derelictum queratur diversas assignant. Leo in serm. XVI. de pass. Christus, inquit interrogat, cur pati metuens Caro non fuerit exaudita, & cum instante passione diceret: si possibile est, transeat a me calix iste factum hoc non fuerit? Theophylacti sententia est, Christum istis verbis ostendere, naturam suam humanam a morte abhorrere. Alii ad contestandam innocentiam suam Christum hæc prolocutum existimant. Nec desunt, qui eum sub persona totius humani generis ea querimonia uti crediderunt. Nazianzenus Orat. 1. te Fil. ἄστος τοῦτοί τὸ ἠμέτερον. Basiliius: Clamat se derelictum, qui derelinqui non potest, quia multa membrorum suorum ad tantam tribulationem erant perventura, ut a Deo derelicti penitus viderentur, quorum personam ille gerebat.

L. Salvator autem seipsum explicans in hoc a Deo se derelictum ostendit, quod ex summis angustiis, & mediis inferni cruciatibus, & hostium insultationibus non ita miraculose eriperetur, uti sancti olim patriarchæ,



populus Israeliticus, & Prophetæ ex corporalibus arumnis erepti fuerunt; nec vivæ consolationis aliquam particulam percipere daretur: hinc, *Patres, inquit nostri in te sperarunt, & liberaſti eos. Ego vero vermis ſum & non homo, opprobrium hominum & abjectio plebis &c.* Fuerunt ergo illæ in cruce patientis lachrymæ, cum ab externis corporis cruciatibus, impiorum Iudificationibus & opprobriis, tum ab internis animæ diriffimis tormentis; quippe cui omnis mundi peccatorum, vastis rupibus gravior moles incumbens, flygiaque incensorem rabie furor, velut agmine facto simul afflicans, cruorem membris, lachrymas oculis largiter exprimebant.

LI. Non tolerandus h. l. est Calvinus, qui in Harmon. Evang. ad cap. XXVII. Matth. insigniter blasphemus Redemptorem nostrum *in Cruce desperationis vocem edidiſſe audacter aſſerit, quando clamavit Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti? Videmus, inquit ibi, Chriſtum ex omni parte ſic vexatum fuiſſe, ut desperatione obrutus, ab invocando Deo abſtineret, quod erat ſaluti renunciare.* Rationem (ut vult Becanus, Manual. controv. lib. III, c. II, Quæſt. II, §. I.) alibi aſſignat; *Quia nimirum Chriſtus ſuſtinebat perſonam omnium noſtrum, qui propter peccata æternæ damnationi eramus obnoxii, E. debebat perſolvere omnes pœnas homini damnato debitas, inter quas eſt deſperatio.* Locum addit ex lib. II. inſtitut. Cap. XVI, §. 10.

LII. Quod ſi eam rationem Calvinus pro ſua ſententia militare credit, aperte fallitur. Non enim deſperatio, ut ſic Pœna eſt, ſed peccatum omnium peccatorum maximum, quod nullis æternorum temporum ſeculis remittitur; nam qui deſperat, gratiam Dei & pater-

E. 3

nam



nam ejus clementiam abnegat, nec minus in aeternum Deum ac suam salutem injurius est. Ablit autem in Filium Dei vel minimum peccatum unquam cadere, cujus cum nemo unquam arguere eum potuerit, Ioh. IIX. Ablit immaculatum Dei agnum, qui omnis mundi peccata sustulit, ullius criminis remm agi aut convinci: *Nostrum enim Pontificem oportuit esse Sanctum, impollutum, segregatum a peccatoribus, cui non opus sit pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. Semel enim hoc fecit (pro populo) se offerendo.* Heb. VII, 26. 27.

Satis vero Calvinus crassus hic error est, quem Christus ipse redarguit: quando in exquisitissimis suis cruciatibus, Deum Patrem & Deum suum appellat, *Deus*, inquit, *Deus meus quare me dereliquisti?* Nec spem deponit, nec desperabundus ab oratione cessat, sed praetens Dei auxilium sperat, patremque sibi praesentissimum credit, ut ex P. XXII, v. 20, 21. & Ioh. XVI. 32. evidenter patet, adeoque fortiores preces cum clamore valido & lachrymis offert, donec pro dignitate sua exauditus est. Heb. V. 7. vitaeque spiritum ultima in vocatione Patri suo commendavit: Nemo vero desperans Deum *Patrem suum* compellat, aut ejus auxilium *παρηγορία* perit; sed ut hostem, & iratum judicem reformidat & averiatur.

LIII. Constante autem Domini lachrymae refelluntur Manichaeos & antiquos haereticos, qui Christum *κατὰ δόξαν* tantum sine vero corpore apparuisse, neque vere passum impudenter asseruerunt. Veri enim & hominum proprii affectus hominis naturam certo evincunt. Hominis lachrymae non nisi ab homine fluunt. Dicitur quidem Phil. II, 7. *Εν χηρωτι* Dominus ut homo repertus:



peritus: Sed nec τὸ *Χριστός* nec totus ille locus, spectrum fuisse Dominum nostrum docet, nec de putativa quadam ejus obedientia loquitur: Namque male sic consultum nobis foret. Ut enim rectissime Irenæus: *Si in Phantasmate accidit, & non revera Christus fecit, quicquid fecit & passus est, in opere Redemptionis: mors autem Christi est justificatio & vita peccatoris, & habemus redemptionem per sanguinem ejus: Putative quoque, non in veritate redempti sumus, & pro vita aeterna, quam speramus, spectrum vitæ nobis objicietur.* Sed vox *Χριστός* ibi loci de externa Christi conversatione accipitur. Cum enim statim a natiuitate divinam majestatem suam ostendere potuisset, quod in transfiguratione & post resurrectionem fecit, dum nullas infirmitates humanas amplius sensit; se tamen exinanivit, & sicut substantiam nostram assumpsit, voluit etiam nobis in infirmitatibus, quibus ob peccatum premimur assimilari, ideoque inventus est *Χριστός* i. e. affectibus, gestibus & totius vitæ actionibus, ut quilibet alius ex medio hominum.

LIV. Nec audiendi sunt, non multo meliores, si non æque impii: qui Dominum nostrum *vere* quidem passum, ejusque corpus *vere* quidem ab interficientibus, tamen sine ejus sensu peremptum dixerunt; fingentes, quod sicuti telum aera non sentientem ferit, ita scutica corona, aliaque tormenti genera Christi corpus haud sentiens lacerarint. Nemo sane vir bonus haud dolens doloris lachrymas fingit, nec dolorem mentietur veritatis fons, & ipsa veritas. Quod si reatus nostros pensare, nostrasque ipsum ferre oportuit poenas, doloris & lachrymarum experti esse non licuit.

LV. Fideles de plenaria pro peccatis suis, Christi  
latis-



satisfactione, præter cætera ex ipsius lachrymis certissimi sunt. *Redemit enim Ecclesiam suo sanguine Deus*, sed non sine lachrymis, quales nos alias ob admissa crimina æternis ignibus affligendi igneus eramus fufuri. Vere Dei Filius nostros languores tulit & in se dolores nostros recepit Ies. LIII, 5. quibus universis compassus & illachrymatus nos exoneravit. Nostram ex primo peccato miseriam in amici funere planxit, ideoque corporis nostri mortem deslevit: Deinde passus in cruce, in vitæ felicioris aditum commutavit. Urbis impietati & pœnis compassus, impenitentium quoque pœnis supplicis affectus est, nostræque mentis oculos hoc tanquam collyrio illevit, & quæ nobis a tergo instant, pericula cernere, & candido olim cælo recipiendos scelerum turpium pœnitere docuit. Denique ultimo crucis supplicio a Patre suo se derelictum clamat: quod nos prævaricati eum deseruerimus: ut in gratiam adoptionis æternæ post liminio affereremur. Verbo:

*Ipse suis lachrymis divino ex corde profectis  
Æternæ peperit risus & gaudia vitæ.*

Quare B. L. si Christianus est; pientissimis tui Redemptoris lachrymis attende, ut quanto precio redemptus sis, æstimes; æstima lachrymas inæstimabiles; ut ei gratus sis: gratus esto, ut salutifera fide in ipsum credas: Crede ut bene agas: bene age ut salveris in æternum. Fiat. Fiat.









01A 6600

ULB Halle 3  
002 932 490



WIP


R











27  
19

B.D. JOACHIMI HILDEBRANDI  
*DISSERTATIO*  
DE  
**LACHRYMIS**  
**CHRISTI.**



EDITIO NOVISSIMA.

---

*HELMSTADII*  
EX OFFICINA SCHNORRIANA.  
clō 1ō cc xxxvii.

